Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Dnica pma p⁹ octas penthec.

Omine in tua misericordia speravi exultavit cor meum in salutari tuo cantabo dno qui bona tribuit michi. Ps. Usqz quo dne oblivisceris me in fine usqz quo avertis faciem tuam a me. Oracio.

Deus in te sperancium fortitudo adesto propicius invocacionibus nris. et quia sine te nichil potest mortalis infirmitas presta auxilium gracie tue. ut in exequendis mandatis tuis et voluntate tibi et accione placeamus. Per. Scda de scta trinitate. iij. de sctis. Concede qs omps ds. Lco e. b. Johis apli. iiij. Kmi. Deus caritas est. cap.

In hoc apparuit caritas dei in nobis. qm filium suum unigenitum misit deus in mundum ut vivamus per eum. In hoc est caritas non quasi nos dilexerimus deum. sed qm ipse prior dilexit nos. et misit filium suum propiciacionem pro peccatis nris. Kmi. sic sic deus dilexit nos et nos debemus invicem diligere. Deum nemo vidit umquam. si diligimus invicem deus in nobis manet. et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus qm in eo manemus. et ipse in nobis qm de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus et testificamur. qm pater misit filium suum salvatorem mundi. Quicumqz confessus fuerit qm ihs est filius dei. deus in eo manet et ipse in deo. Et nos cognovimus et credidimus caritati. qm habet deus in nobis. Deus caritas est. Et qui manet in caritate in deo manet et deus in eo. In hoc est perfecta caritas nobiscum. ut fiduciam habeamus in die iudicii quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate. sed perfecta caritas foras mittit timorem. qm timor penam habet. Qui autem timet non est perfectus in caritate. Nos autem diligamus deum. qm deus prior dilexit nos. Si quis dixerit qm diligo deum. et fratrem suum oderit mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt. deum quem non videt. quomodo potest diligere. Et hoc mandatum habemus a deo. ut qui diligit deum diligat et fratrem suum. Gr.

Ego dixi dne miserere mei sana animam meam quia peccavi tibi. V. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem in die mala liberabit eum dns. Alla.